



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis  
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de  
monte Carmelo**

**Trithemius, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1643**

Cap. XII. Candidæ vestis externum habitum ab Eliæ instituto promanasse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



## CAPVT XII.

*Candida vestis externum habitum ab ELIA  
instituto promanasse.*

*Hier. Rō.*

**D**Vodecimò, redeo ad importunum illum  
auctorem Hieronymum Rom. qui tanta  
efferbuit libidine impugnandi sacram Car-  
melitarum Religionem, vt in eodem defensorio  
contendat, habitu, quo vtuntur, illos expoliare, di-  
cens: falsum esse, album colorem pertinere ad ha-  
bitum eorum, eo quod *Elias* pallio albo vsus fuerit  
hoc enim affirmat, in nullo fide digno libro inue-  
nire potuisse, sed id ego diligentior inueni, nam in

*Ioan. 44.*

*Patriar.*

*Hierosol.*

primis *Ioannes XLIV.* Patriarcha Hierosolymita-  
nus libro de *institut. Monachorum cap. 40.* post-  
quam dixerat: *Docuit ELIAS Monachos, hanc Reli-  
gionem profitentes, debere pallio superuestiri albo.*  
Postea subdit hæc verba: *Qui ELIAM, velut mona-  
sticè viuendi exemplar, erant imitaturi, in ardore ne-  
dum mentali sincera puritatis, sed etiam corporalis*

*Trith.*

*Abbas.*

*habitus albi eos desuper regentis.* Trithemius Abbas  
de laud. Carmelit. cap. 6. id ipsum in hæc verba con-  
testatur: *Color autem ipsius habitus albus fuisse dici-  
tur, per quem interior Fratrum mundicia, & puri-  
tas assignatur, tali Eliam pallio amictum fuisse tra-  
dunt; tali habitu incessisse Elisæum, & filios Prophe-  
tarum.* Addit S. Epiphanius in vita *Elia*, hoc genus  
albi habitus, quo Religiosi eius vti debebant, in  
visione diuinitus Patri eius fuisse monstratum, ver-  
ba eius sunt hæc: *Quem, id est, Eliam, cum eniteretur  
parens eius, eiusmodi Sabach patri suo visio apparuit,  
viri niueum quendam præferentes habitum, &c.*

*S. Dorothe.*

Refert idem S. Dorotheus in vita *Elia*; dum ait:  
*Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabach  
vidit illum ab Angelis albicantibus  
salutari.*